

& inferiori facie instrumenti æquales sunt, & æqualiter diuisæ, sequuntur alia, vni faciei seu lateri peculiaria.

SVPERIOR FACIES.

In superiori facie expressi sunt SEMI-DIAMETRI SPHÆRARVM æquiponderantiũ *Vien-nensi* LIBRÆ seu Lotonib. & semuncijs 32. *Ex Silice, Marmore, Stanno, Ferro, Cupro, Argento, Plumbo, Auro.*

In eâdem facie incisus est *Quadrans Ho-rarius* ad *Latitudinem Vienna.* *Mensium* nomina, & *Ingressus Solis* in signorum trientes, ad Crus alterum notantur. *Linea Horaria*, & *Dierum*, ac *Noctium quantitates* in ipso *Quadrantis* plano.

In limbo *Quadrantis*, *Gradus* adnumera-ti sunt, ex quorum *Fide Solis altitudo* capia-tur, suspenso ad Centrum perpendiculo, cui *Margarita mobilis* inserta est, ad numeran-dum *Gradum Solis*, & *horarum intervalla.*

Ad margines *Parallelogrammi* descripta est *Scala Altimetra* partium. 16. Eius vsus suspen-sus perpendiculo, ex *Scala Centro.*